

Franckesche Stiftungen zu Halle

Festos Dies Pentecostes Pie Agendos Fridericianae Prorector D. Andreas Elias BÜchner S.R. Imperii Nobilis, Potentiss. Prvssiae Regis Consiliarivs ...

Büchner, Andreas Elias

Halae Salicae, MDCCLXVIII.

VD18 13088033

Abschnitt

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-192337



Religiosam vobis nuper, *Ciues carissimi*, Paschae celebrationem commendaturi, duce et auctore Paulo (Rom. VIII. 10. 11.) de *coniunctione Christi cum credentibus eiusque effectis* exposuimus. Ostensum tunc est, quam arctum, verum, efficaciae plenum ac beatum sit illud vinculum, quo Dominus cum suis iungitur. Agi etiam tum coeprum est, apostolo praeunte, de effectis intimae illius societatis, statuque in quo fideles per illam collocati sunt ac collocabuntur. Vidimus itaque primo, quae corporis illorum ratio sit ac maneat, quoad hanc vitam viuunt; deinde quis sit status et quae conditio animae ex communione cum Christo oriens; denique quid de corpore illorum certo aliquando futurum sit, dicere quoque constitueraimus; at angustius spatii et temporis tunc prohibiti, id in aliud tempus distulimus.

Datam itaque fidem liberaturi, tum interrupta iam contexemus, explicandis iis, quae apostolus commate 11. de hac re subiungit: *Si vero Spiritus illius, inquit, qui Iesum excitauit a mortuis, in vobis habitat; ille, qui Christum excitauit a mortuis, vestra quoque mortalia corpora vita donabit propter inhabitantem in vobis Spiritum suum.*

Facile, credimus, ac per vos ipsi intelligetis, hanc apostoli vocem eiusque accuratiorem considerationem tempori dierumque instantium rationi apprime conuenire, ac proinde consilio minime inepto electam esse, ut vos officii vestri dies festos pentecostes bene transigendi moneamus; loquitur enim apostolus de Spiritu sancto illiusque inhabitatione in animis; hoc vero idem illud argumentum est atque esse debet, quod his diebus publice tractatur; haec ea ipsa res est, quam omnes quaerere nec prius acquiescere si salui esse cupiunt, oportet, quam illius vere participes facti sunt; *qui enim*, ipso apostolo id diserte ac palam proficiente, *Christi Spiritum non habet, Christi non est*, ac proinde vitam non habet.

Duo itaque sunt, quae his verbis continentur et in considerationem veniunt; primo apostolus nouum effectum coniunctionis Christi cum fidelibus commemorat, deinde quid ex illo certo consecuturum sit exponit. Effectus igitur ille est *inhabitatio* Spiritus in credentibus, significata verbis, *si Spiritus illius, qui Christum a mortuis excitauit, in vobis habitat*. Primo igitur videndum, quis sit Spiritus de quo hic sermo est, deinde quid sit inhabitatio illius. Quod itaque ad prius attinet, indubitatum omnino est, tertiam S. Trinitatis personam, nomine *Spiritus Dei, Spiritus sancti* alioquin appellari solitam, hic intelligi; de quo apostolus etiam in sequentibus loquitur; *qui a Spiritu Dei*, inquit, *agi se patiuntur, sunt filii Dei*; et porro, *Spiritum filiationis accepistis; Spiritus ille testatur spiritui vestro, vos esse filios Dei*; quibus in verbis Spiritus Dei a spiritu fidelium aperte distinguitur.

Sed haec ut obuia et satis plana nos non morabuntur, restat aliud maioris omnino momenti nec in hac disputatione nostra praetermittendum. Apostolus scilicet primo de Spiritu S. agens hic et alibi appellatione Spiritus *Dei* et Spiritus *Christi* promiscue utitur; ex quo recte omnino conficitur, Spiritum S. eodem ac pari plane modo Christi esse, quo Dei, Patris scilicet est, ac Christum proinde cum patre ita vnum esse, ut illi aequalis sit. Deinde obseruatione quoque dignum videtur, Spiritum S. habitantem licet in fidelibus ac proinde arctissime cum illis coniunctum nunquam tamen spiritum illorum dici; nusquam enim legas, cum de occupatione illius apud fideles sermo est, cum appellari spiritum *Pauli*, *Petri*, quemadmodum Spiritus *Patris* ac *Filii* appellatur; ex qua orationis diuersitate sollicite obseruata manifestum omnino fit, Spiritum S. longe excellentiori ac sublimiori ratione in Patre et in Filio esse, quam in hominibus. Ita scilicet, ut ad ipsam illorum essentiam pertineat nec natura creata et finita sit. De cuius argumentationis veritate eo minus dubitare licet, quo certius apostolus ipse alibi sententiam suam nobis declarat; *nobis Deus*, inquit, *reuelauit per Spiritum suum. Spiritus enim omnia perscrutatur, etiam profunda Deitatis. Quis enim homo nouit quae in homine sunt, praeter spiritum hominis qui in ipso est? ita quoque nemo nouit quae in Deo sunt, nisi Spiritus Dei.* (1. Cor II. 10. 11.) Aperta hic est comparatio Spiritus Dei cum spiritu siue anima hominis; apertum non minus, ita hanc comparisonem institui ut doceatur, Spiritum Dei in Deo ipso ac Deitate eundem plane locum ac dignitatem tenere, quam spiritus hominis in homine habet ac tenet; iam vero spiritus hominis, eo loco in homine est, ut ad ipsam illius essentiam naturaeque integritatem pertineat; ex quo sequitur, Spiritum quoque Dei in Deo etiam eo loco esse, (fas sit nobis ita loqui, seiuncta omni cogitatione, quae cum simplicissima ac perfectissima Dei natura constare nequit,) ut ad ipsam illius essentiam naturamque pertineat. Quae monere ac tenere, omnino salutis pietatisque nostrae interest, ut de numine ac dignitate Spiritus S. recte sentiamus, illudque pro eo ac par est veneremur.

Attendi porro in hac oratione apostoli meretur, quod Spiritum S. Spiritum illius hic appellat, *qui Christum a mortuis excitauit.* Qui Christum a mortuis excitauit, sine dubio Pater Domini nostri Iesu Christi est, cui etiam alibi resuscitatio Christi ex notis probatisque causis tribuitur. Coniungit vero apostolus mentionem resuscitationis Christi cum mentione inhabitationis Spiritus eam ob causam, ut doceat, hanc illa plane et vnice niti. Morte scilicet sua Christus nobis perfectam salutem, omniaque quae illa continentur bona, inprimis etiam Spiritum S. peperit; collatio vero illorum, vsusque ac fructus nititur resurrectione Christi, qua Deus declarauit, se nobis iam propter Christum placatum esse idque serio velle, ut omnes salutis participes fiant. Quod ut aliunde, si nunc vacaret ac luberet, facile probari posset, ita non negamus, aliam adhuc subesse causam, cur apostolus resuscitationis Christi mentionem hic iniiciat, quam infra commodiore loco atque occasione non intactam relinquemus.

Sed

Sed res ipsa exigit, ut de ipsa Spiritus S. arctissima coniunctione cum fidelibus, quae hic et alibi *inhabitatio* appellatur, disseramus; id quod ita praestare animus est, ut primo de umbra quasi et imagine rei, deinde de re ipsa exponamus. Quod igitur ad prius attinet, nemo vel mediocriter in s. litteris versatus inficiabitur similitudinem in huiusmodi locis a templo Hierosolymitano iussu diuino olim exstructo ductam esse. Illud scilicet domus Dei vocabatur ac censebatur, quoniam ipse Deus cum structuram illius tum dispositionem et ordinationem rerum etiam minutissimarum in illo praescripserat; quoniam porro Deo vnice ad rem diuinam pariter ex praescripto faciendam dicatum ac consecratum erat; accedebat, ut Deus etiam singulari ratione vim virtutemque suam in illo ostenderet. Huc ergo respici vetusque illud institutum iam dudum sublatum imaginem rei huius spiritualis et longe excellentioris fuisse, cum plane constet, longiori oratione opus non est, sed sufficere potest, si lectores ad Iesai. LXVI. 1. 2., 1. Cor. III. 16. VI. 19., 2. Cor. VI. 16., 1. Petr. II. 5. remittamus. Ad rem ipsam igitur declarandam potius accedimus, visuri quid sit illa Spiritus S. inhabitatio in fidelibus tanquam in templis suis. Duo ergo maxime significari collatio locorum docet hanc rem tractantium. Primo scilicet significantur ea, quae ipse Spiritus S. in fidelibus et quidem ad salutem illorum praestat; deinde notatur etiam ipsorum fidelium officium ac debita agendi ratio.

Primo igitur ipse Spiritus S. opera in salute fidelium curanda praecipue indicatur; licet verissimum sit, ipsam quoque veram ac realem praesentiam Spiritus simul innui. 1) Itaque significatur, Spiritum S. fideles singulari plane ratione sibi vindicare, sibi que proprios habere ac censere, ita ut ad singularem plane illius curam pertineant. Omnia scilicet Dei sunt necessario tanquam auctoris ac Domini omnium, et in omnibus etiam operatur; at illa imprimis Dei esse dicuntur, quibus maxime delectatur et quae sensus amoris et indulgentiae illius per naturam et indolem suam capacia sunt. Similitudine templi id illustratur; cum enim terra et omnia quae in illa sunt, Dei sint, templum tamen solum domus Dei ita appellabatur, ut domiciliis hominum opponeretur. (Hagg. I. 9.) simili ergo ratione fideles, dum templa Spiritus S. audiunt, eo ipso singulari salutarique ipsis ratione proprii ac peculium illius declarantur. Et cum templum, imago illa et umbra rei huius longe nobilioris, olim non nisi solius veri ac summi Dei domus fuerit et habitum sit; fideles vero templa Spiritus S. sint et censeantur, etiam ex eo certissime conficitur, Spiritum S. ipsum quoque verum ac summum Deum esse; id quod etiam apostolus aperte satis indicat; *nonne scitis, inquit, vos templa Dei esse et Spiritum Dei in vobis habitare?* (1. Cor. III. 16.) ex eo enim, quod templa ipsius ac solius Dei sint, id ducit, Spiritum Dei quoque in illis habitare, siue, quod ipso interprete (c. VI. 19.) idem est, esse illos quoque Spiritus S. templa; cum itaque templum solius Dei, minime vero ullius naturae creatae ac finitae domus sit, Spiritum S. Deum verum esse sequitur. 2) Inhabitatio Spiritus in fidelibus eo quoque continetur, quod Spiritus Dei in illis, et quidem simili modo sicut herus in domo sua, operatur omnia, facit, disponit ac ordinat, et quidem ar-

birratu suo, omnia ad fines suos atque usus accommodans et referens. Pertinet ergo huc, ut rem maximam paullo distinctius declaremus, quod Spiritus Dei primo hominem, qui iam natura tanquam caro de carne ad salutarem coniunctionem et fruitionem, proinde etiam ad verum cultum Dei, plane ineptus ac prorsus mortuus est, potenti virtute sua in regeneratione, per quam spiritus ex Spiritu efficitur nouusque homo creatur, vita donat nouisque viribus instruit, ut spiritualia bona cum salute sua sentire, percipere, amplecti, iis frui atque etiam ad fines a Deo propositos uti queat et velit; qua insigni operatione, quae caput quasi et fons reliquarum omnium est, homo rursus templum et quidem viuum viui Dei paratur ac fit. Quemadmodum porro herus in domo sua in omnia sibi soli imperium vindicat, idque re ipsa demonstrat et exercet, quod omnia in illa ad suum arbitrium ordinat ac constituit; ita simili ratione Spiritus Dei summum sibi imperium in animum et corpus omnesque illorum facultates ac membra vindicat, usum illorum non solum praescribens, sed etiam vrgens atque ad illum impellens, continenti ac perpetua operatione facultatem voluntatemque ad id conseruans, excitans et augens; quo omnia sibi subiecta ac parentia habeat; quam Spiritus operam in fidelibus semper occupatam apostolus *actionem* illius appellat, *qui a Spiritu Dei*, inquit, *aguntur*, i. e. reguntur, ad nutum illius conuertuntur, illi sunt filii Dei; alibi apostolus eandem rem ambulationem Dei in templis his spiritualibus nominat, indicaturus, Spiritum Dei in illis habitantem, nihil in illis relinquere, quo non accedat, et ubi non operetur, ut sibi cuncta probata efficiat: (2 Cor. VI. 16.) duabus vero rebus operationes illae maxime continentur. Primo enim fideles per illas magis magisque certos reddit status gratiae locique quem apud Deum tenent; *ex cuius rei* confirmata auctaque fide, incrementum tranquillitatis animi, gaudii in Deo, *filialis* fiducia erga Deum, ac spei vitae aeternae et gloriatio in Deo proficiunt. Id quod ipse Dominus de inhabitatione Dei in suis differens perspicue indicat (Io. XIII. 23.) *si quis amat me*, inquit, *sermonem meum seruabit, et Pater meus amabit illum, et ad ipsum veniemus, et domicilium apud illum constituemus*; eo scilicet fine, ut amorem ac benevolentiam nostram illi magis magisque patefaciamus, gustandamque ac fruendam praebeamus; hoc vero in comunione Spiritus S. ac per illius operationem fieri alibi docetur; sic ipse Dominus Spiritus S. opus praecipuum in suis in eo ponit, ut se apud illos glorificet, (Io XVI. 14.) et apostolus noster, ut alia iam praetermittamus, diserte adfirmat, amorem Dei, quo scilicet fideles ac iustificatos in Christo amplectitur, *per Spiritum S. in cordibus illorum effundi*, (Rom. V. 5.) et in ipso hoc capite nostro, *idem ille Spiritus*, inquit, *una testatur spiritui nostro, nos esse filios Dei*; ex quo fit, ut clamare *Abba, Pater*, id est animo fiducia et gaudii pleno Deum tanquam Patrem alloqui vosque tanquam liberos erga eum gerere et cum illo tanquam cum patre versari ac viuere possitis. (cf. Ephes. I. 17. 18., 1. Corinth. II. 9. 10.) Alterum Spiritus S. in fidelibus tanquam in templis suis habitantis opus cum priori arctissime iunctum in eo ponitur, quod illos, et quidem totos, magis magisque sanctificat, ac proinde spirituale lumen in intellectu auget, ut voluntatem Dei secundum legem et euangelium

gelium cum per se clarius intelligant, tum etiam summam illius sanctitatem, iustitiam et vilitatem melius perspiciant, et quam arctis vinculis adstringantur, ut se ad illam totos et libenter conforment ac componant; in voluntate vero incendit et auget desiderium, amorem, timorem ac reuerentiam Dei, acuit odium et fugam peccati, ac per id magis magisque voluntatem inclinat ad abnegationem sui, contra vero voluntati Dei magis magisque obsequentem praestat.

Ex ipsorum fidelium vero parte, qui inhabitari a Spiritu S. ac templa illius esse dicuntur, res quae illos templa Spiritus efficit, eo continetur, ut primo se Spiritui S. illiusque imperio atque operationi totos suaeque omnia permittant ac subiiciant, ut illos habeat, teneat possideatque. Qui enim operationibus Spiritus S. eatenus resistunt, ut finem propositum consequi nequeat, non dicuntur in scriptura Spiritum S. habere et ab illo inhabitari, etiamsi varios motus et pulsus gratiae vocantis ac trahentis experiantur. Deinde id quoque includitur, ut operante Spiritu in illis et ipsi operentur per vires novas iam collatas; sunt enim et appellantur *templa viva* Dei, quae non solum patiuntur et admittunt operationem Spiritus S., sed etiam sensum illius ac vim vitalem habent illi convenienter operandi. Sicuti igitur Christus, cuius humana natura templum vivum divinae est, quod tota plenitudo Deitatis inhabitat, simul sacerdos et victima fuit, qui se ipsum Deo pro nobis sacrificavit, sic fideles quoque ad similitudinem Christi simul templa, sacerdotes et victimae sunt Deo ac Spiritui eius se plane ac totos sacrificantes idque agentes, ut Dei mancipio et usu sint ac maneant; quod quoad agunt Spiritum S. in se habitantem et manentem retinent. Denique templum tanquam domus Dei erat locus, cultui debito ac solius quidem Dei dicatus, ut ipse Deus illud domum precationis appellauerit (Isai. LVI. 7.) quoniam ergo fideles templa Spiritus S. sunt, eo ipso officii sui admonentur, ut illi cultum Deo soli debitum praestent, eumque summa religione venerentur.

Progredimur vero nunc ad alteram propositae disputationis partem, exposituri, quid ex inhabitatione Spiritus S. in fidelibus etiam ratione corporis certo consecuturum sit his verbis expressum, *ille, qui Iesum a mortuis excitavit, corpora quoque vestra mortalia vivificabit propter inhabitantem in vobis Spiritum suum*. Cernimus igitur, hic et actionem quandam Dei certo expectandam et causas illius simul significatas. Actio ipsa in eo ponitur, quod Deus *corpora fidelium mortalia vivificaturus sit*; de resurrectione corporum hic agi planum est; cum vero hic locus non sit, rem ipsam explicandi, vnum tantummodo monuisse sufficiat; apostolum scilicet non de resurrectione omnium et universali, sed de resurrectione ad vitam tantum agere; quod ex eo liquet, quoniam de iis sermo hic est, in quibus Spiritus S. habitat. Ad causas itaque huius actionis divinae sine mora accedimus.

Duas vero hoc quidem in loco deprehendimus, quibus alibi tertia adiungitur, ita quidem ut singulae a singulis S. Trinitatis personis ductae appareant. Prima igitur causa in eo ponitur, quod Deus, Pater scilicet, Iesum a mortuis excitavit; sicut enim Deus Iesum ex promisso resuscitavit, postquam ex voluntate illius
pro

pro nobis mortuus erat; ita simul illos, pro quibus mortuus est, resuscitare constituit. Morte scilicet Christi omnia per primum peccatum primi hominis amissa restitui ac reparari ex consilio Dei, et quidem abunde oportebat; cum itaque inter amissa illa bona immortalitas ac vita corporis quoque fuerit, hanc quoque iam credentibus in Christum restitui oportet. Hinc apostolus alibi quoque resurrectionem Christi cum resurrectione fidelium artissime copulat. (cf. 1. Cor. VI. 14. C. XV.) Altera causa resurrectionis corporum ponitur in eo, quod Spiritus S. in illis habiter. Totus scilicet homo ex anima et corpore constans per fidem fit templum Spiritus S. ac proinde corpus quoque templum illius est, ut apostolus diserte adfirmat, (1. Cor. VI. 19.) *an nescitis*, inquit, *corpus vestrum templum Spiritus S. esse, qui in vobis est?* Quoniam itaque corpus per Spiritum etiam sanctificatur, glorificari quoque oportet. Tertia causa alibi a Christo ducitur singularique cum eo societate. Corpora scilicet fidelium a Christo tanquam sui ipsius membra censentur, ut apostolus dicit, *an ignoratis, corpora vestra Christi membra esse?* (1. Cor. VI. 15. Ephes. III. 12—15.) Quid vero indecentius, quam Christo tanquam capite vivente membra illius in morte manere?

Apparet etiam ex hoc effato, quod paucis adhuc observare iuvat, idem illud, quod in vita habuimus corpus aliquando restitutum iri, non aliud ex alia scilicet materia constans, quae nunquam in hac vita pars corporis nostri existit. Apparet id primo ex eo, quod apostolus dicit, Deus corpora *VESTRA* mortalia vita donabit; i. e. corpora, quae iam *vestra* sunt, quae in hac vita habetis; quod vere dici non posse palam est, si homo corpus aliud, et quidem ex tali materia, quae ad corpus illius in hac vita non pertinuit, accipere deberet. Liquet id porro ex eo, quod apostolus causam, ut vidimus, resurrectionis in inhabitatione Spiritus S. etiam in corpore ponit; quomodo vero inhabitatio in corpore huius vitae causa idonea resurrectionis illius esse ac dici posset, si corpus redderetur aliquando, quod tamen Spiritus S. in hac vita non inhabitauerat.

Sed praecedimus hic orationem, et ad vos, *carissimi Cives*, reuertimur, in quorum gratiam haec hactenus disputauimus, ut vobis religiosam instantium dierum actionem commendaremus. Praedicatur scilicet in illis insigne munus Spiritus S., cuius missionem salutaremque operationem Christus nobis meruit. Cogitate itaque serio, donum hoc etiam vobis esse partum, vestrique officii esse, salutisque vestrae prorsus interesse, ut templa viva Spiritus S. fiat. Remouete ergo his diebus, imo per omnem vitam consequentem, omnia illa a vobis, quibus Spiritus S. repellitur impediturque, quo minus vos inhabitare animumque ac corpus sanctificare queat; precamini vero Deum, ut vobis Spiritum suum largiatur, de proluxa illius voluntate, omnibus serio id agentibus libenter gratificandi, ipso Christo sponfore minime dubitantes.

P. P. in Fridericiana, mense Maio, CIOIOGCLXVIII.

